

3050<sup>a</sup> 1  
celeberrimo Gerardo Frederico Muller

Salutem plurimam Dat

Franciscus Voltaire

Si longo et gravi morbo non laboravissem, citius tibi et  
veneranda imperiali Academia, quas Debes reddissem  
gratias. Semper miratus sum quantam orbi terrarum  
utilitatem afferrent tot nova virorum Doctissimorum  
collegia que quasi communem inter se rempublicam  
erexerunt a finibus Italiae usque ad Finlandiae terminos.  
cum inter se dimicent Reges, Academiae uniuerso Sapientia  
unite sunt, et cum vesana ambitu tot regna perherberet  
tot Deuastet provincias, amor bonarum artium anglos  
germanos gallos itales arte coniungit et ut ita dicam  
ex omnibus populis, Selectum unum populum efficit

Sed praecipue mira semper veneratione prosequar  
vestram imperialem Academiam que nata est cum  
Petri magni imperio et edificata cum urbe petropoli  
in loco antea Europa fere ignoto, ubi nec ullum civitatis

vestigium nec quidem rusticorum magalium erat  
 haec omnia de nihilo creavit magnus ille Legislatores  
 et nunc jam novem volumina e vestris Societate  
 prodierunt in lucem, in quibus multa reperuntur quae  
 eruditissimos etiam possim erudire, cum nihil  
 de hoc genere in publicum exierit in multis  
 antiquorum et florentibus imperiorum metropolibus.  
 expecto ardentissime decimum volumen quod  
 ceteris quae jam teneo, et in celeberrima Domina  
 de Chastelet Bibliotheca reposita sunt, cum summa  
 voluptate adjungam. Si mea valetudo  
 patitur adhuc studiis quae amavi et colui operam  
 dare, in latinam linguam vertam, Dissertationem  
 quam nuper mihi anglice scriptam ad  
 regiam Londini Societatem, et italice, ad institutum  
 Bononianum, quibus illustribus academiis abhinc  
 aliquot annis sum aggregatus. agit in hac  
 Diatriba de antiquis sacrificiis, et conjectis  
 ut aiant, ubique stupendarum quas terrarum  
 orbis dicitur expertus fuisse mutationum monumentis  
 hanc tibi vir eruditissime et celeberrime mittam  
 latine elaboratam, et meas academias iudicio submittam  
 cogitationes

ceterum nunquam honoris mihi ab academia  
conferri immemor ero, te rogo enim ut velis  
sociis tuis omnes animi mei sensus gratitudinem  
venerationem, curam amorem testificare

cum essem Berolini, decreveram usque ad  
urbem Petri magni, iter faceres et cuncta tanti  
hominis vestigia et opera intueri, sed praecipue  
academiae et suarum spectator esse laudum  
vae mea valetudo, vae temporum opportunitas  
haec me permiserunt frui voluptates.  
nunc magna me consolatio recreat, cum  
me unum ex vestris civibus putem,  
vale et mihi academia gratiam et tuam  
vita mea ornamentum conserva

Versailles 28 junii 1746